QUAESTIONUM THEOCRITEARUM

SPECIMEN,

QUO

SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO EYSTETTENSI

RITE CELEBRANDA

INDICIT

CAROLUS ZETTEL,
IN SCHOL. LAT. PRAECEPTOR.



EYSTADII.
IMPRESSIT C. BROENNER.
MDCCCLXVII.

Perpauca, lector candide, praefari mihi liceat. —

Poëtae Siculo et ingenii et dictionis festivitate jam dudum nobilitato multos viros doctissimos egregiam praestitisse operam, quis infitiabitur? Textum enim summopere recensuerunt et copiosis quoque commentariis uberrimaque explicatione illustraverunt. Verumtamen in carminibus Theocriteis etiamnunc alia sunt, quae saniorem formam requirunt, alia quae recta interpretatione egent. Reliquiae enim poëtarum bucolicorum codicibus perquam depravatis, — ab uno aliquo exemplari eoque mutilo originem traxisse videntur — ad posteritatem traditae sunt mendosissimae. Nec defuerunt, qui minutiis quidem eruendis atque enucleandis insudarent sed sensui evolvendo minime inservirent. Alii vero editores, etsi emendandi ratio neque facilis neque in promptu erat, tamen haud ferenda temeritate, prout libebat, laceros et obscuros locos tentantes multa eaque teterrima poëtae inflixerunt vulnera.

Has ob causas illi, quos laudavi, viri, quamquam amplissimo apparatu instructi et mira sagacitate atque operosa diligentia exornati erant, tamen difficillimum habuerunt laborem, ut nostrum poëtam exhiberent emendatiorem. —

Ego, si hoc libello studiis Theocriteis aliquantulum addidisse videbor incrementi, jucundissimum fructum percepisse me putabo. A quibus meliora edocebor, eos grato animo colam. Jam ad ipsam rem aggrediar.

Id. I, 25 — 26.

Exstant verba

αἶγα δέ τοι δωσῶ διδυματόκον ἐς τρὶς ἀμέλξαι,
ἃ δύ' ἔχοισ' ἐρίφως ποταμέλγεται ἐς δύο πέλλας,

Quum omnes libri et quae dicuntur editiones principes in hac lectione conspirent, nisi quod cod. k. *ποτ' ἀμέλγεται* habet et praeter unum cod. P. reliqui *ποταμέλξεται* praebent, acquieverunt editores in vulgata scriptura. Fritzschius de v. 26 inter alia haec adnotat: „Non recte Steph., imitt. p. 60, „„in mulctras binas mulgebitur illa.““ Haec adnotare juvat, quum videam manum viri docti (Schaeferi, si recte conjicio) in exemplo ed. Valck. 1773, quod in bibliotheca nostra Paulina asservatur, adscripsisse: „„fortasse spurius versus, quem qui procudit, legit v. 25 *ἐς δίς*““ [quod Appian. Mithr. 78 dixit].“ Et sane, quo diutius considero locum, tanto veri similius mihi videtur, a sciolo quodam versum 26 insertum esse. Nihil enim nisi paraphrasim versus antecedentis continet; nam quid sibi vult sententia *ἃ δύ' ἔχοισ' ἐρίφως?* Aperte explanat ea adjectivum *διδυματόκον;* deinde verbo *ποταμέλγεται* explicatur infinitivus *ἀμέλξαι;* denique *ἐς τρίς* (rectius *ἐς δίς*) amplificatur verbis *ἐς δύο πέλλας*. Poëtam vero scripsisse in v. 25 *ἐς δίς*, mihi quidem admodum probabile videtur. Capellam enim, quae binos alit foetus, non semel tantum bisve sed adeo ter lac edere, vix convenit rei naturae. Fritzschius versum 26 reddit: *„quae quamquam binos alit ubere foetus, tamen lacte suo, quoties mulgetur, mulctras adimplet binas.“*

At vero nemo non perspiciet, sex (bis terna efficiunt sex) mulctra (*περιγλαγέας κατὰ πέλλας* Hom. Il. XVI, 642 vertit Vossius: „in die milchgefüllten Eimer") vix impleri posse unius caprae lacte. *πέλλα* majus est vas, quam quod una capella, quae binos alit foetus, ter seu potius sexies compleat. Neque silentio praetereundum puto, quod e. g. in lexico Duncanii scribitur. „*πέλλα* (v. s. *Πάλλω*) mulctra, ein Melkfaß (a milk-pail), it. vas, in quo lac adservatur, ein Milchgrapen. Est *ἀπὸ τοῦ πεπελεκῆσθαι* hohl gehauene hölzerne Näpfe; sunt ergo *πέλλαι ἀγγεῖα ποιμενικά*; *πέλλα* est *σκυφοειδὲς ἀγγεῖον, ὃ πυθμένα ἔχει πλατύτερον, εἰς ὃ ἤμελγον γάλα, καὶ ἦν ξύλινον*: a *πελεκάω*." Ceterum conferas cum hoc loco, si libet, Vergilium, qui (vid. Ecl. III, 30 „bis venit ad mulctram, binos alit ubere foetus") nostrum poëtam imitatus sine dubio legit *ἐς δίς*. Idem Ecl. III, 34 exhibet: „bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos." Ego, ne longus sim, *versum 26 glossema judicandum esse* existimo nec non placet mihi conjectura *ἐς δίς*.

Id. II, 3.

Fritzschius — reliquorum vanas correctiones praetereo — secutus Stephanum scripsit *ἐμοὶ βαρὺν εὖντα φίλον καταδήσομαι ἄνδρα*, cum in libris et editionibus legatur *ἐμόν βαρυνεῦντα;* praeterea ex scholiorum vestigiis atque ex emendatione Toupii et Ahrensii scripsit *καταδήσομαι* pro librorum scriptura *καταθύσομαι*. Alterum, quod quidem artis criticae legibus obtemperans conjecit vir doctissimus, sane concinnius est nexui sententiae, sed alterum minime necessarium mihi videtur; conferas v. 10, in quo idem verbum exstat, *νῦν δέ νιν ἐκ θυέων καταθύσομαι* h. e. *nunc autem sacris magicis incantabo* (sacris adhibitis et peractis cogam eum, ut amore me amplectatur). Ego vero levissimum subesse vitium verbis *εὖντα φίλον* putaverim; mutare velim lectionem scribens *ἐμοὶ βαρὺν εὖντ' ἄφιλον καταθύσομαι ἄνδρα.* Hoc enim temporis momento Simaetha, quamquam vehementissimo amoris ardore incensa, tamen irae ac saevitiae animi intemperans, nescio an nullum mite dictum ex ore mittat, quod et satis docent epitheta insequentia *τάλας* et *ἀνάρσιος*. Deinde, id quod magnam in hac caussa vim habere mihi videtur, v. 112 *καί μ' ἐσιδὼν ὥστοργος ἐπὶ χθονὸς ὄμματα πᾶξαι* etc. etc. puella Delphidem amatorem acerbe dicto *ἄστοργος* i. e. *ἄφιλος* corripit. Dixerit fortasse aliquis, id ipsum *φίλον* a poëta de industria positum et assumptum esse ex animo mulieris vi Veneris victae, quod ego non spreverim — editores conferunt simillimos locos Aeschyleos, Euripideos, Horatianos, qui ejusmodi oxymora exhibent — sed reputans, puellam hic describi non tam dulcedine amoris permotam quam cupiditate juvenis perfidi denuo adstringendi inflammatam, iterum haereo iterumque in adjectivo *φίλον*. Conjecturam autem a me propositam proxime ad librorum scripturam accedere, nemo non videbit.

Id. II, 59 — 60.

Θεστυλί, νῦν δὲ λαβοῖσα τὺ τὰ θρόνα ταῦτ' ὑπόμαξον
τᾶς τήνω φλιᾶς καθ' ὑπέρτερον etc. etc.

Qui adhuc interpretati sunt versum posteriorem homines docti, scripturam servarunt *τᾶς τήνω φλιᾶς καθυπέρτερον* et ita intellexerunt locum: *nunc vero* (hoc loco idem valet adverbium *νῦν* quod nostrum „für jetzt, für heute") *tu cape haec venena et clam illine haec superne illius limini.* At per totum carmen ne uno quidem versu de aedibus Delphidis agitur, de puellae penetralibus persaepe sermo est. Ut enim omittam versum illum intercalarem quaternos versus subsequentem „*ἶυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα*" imprimis versibus 100 et 101 „*κήπεί κά νιν ἐόντα μάθῃς μόνον, ἄσυχα νεῦσον*", „*κεἶφ' ὅτι Σιμαίθα τυ καλεῖ, καὶ ὑφαγέο τᾷδε*", v. 127 „*εἰ δ' ἀλλᾷ μ' ὤθεῖτε καὶ ἁ θύρα εἴχετο μοχλῷ*", v. 132 „*ὦ γύναι ἐσκαλέσασα τεὸν ποτὶ τοῦτο μέλαθρον αὔτως ἡμίφλεκτον.*" etc. etc. satis superque apparet, Simaetham sui tantummodo tecti limen respicere; huic limini illinere venena a domina jubetur Thestylis ancilla, ut perfidus iste amator, quamquam invitus, peractis sacris et vi rituum coactus limine pedes inferens penates neglectos subeat. Repugnare quidem meae explicandi rationi videtur, quod Simaetha discedere jubet ancillam, sed inde haudquaquam sequitur, Delphidis tectum esse intelligendum. Jam quin mendum insit quoddam minusculum in vulgata lectione, cum nulla sit dubitatio, equidem succurrendum esse censeo accentu vocis *τήνω* leviter mutato et conjicio *τᾶς τηνῶ φλιᾶς καθυπέρτερον. Sumto hoc veneno illine*

limini illic (h. e. in domo prope a scena idyllii sita). Adverbium *τηνῶ*, quod notionem loci habet, etiam in Id. III, 10 *ἠνίδε τοι δέκα μᾶλα φέρω· τηνῶ δὲ καθεῖλον* et in Id. III, 25 *Τὰν βαίταν ἀποδὺς ἐς κύματα τηνῶ ἀλεῦμαι*, nobis occurrit, ubi significat *istinc* et *istic*.

Id. II, 106 — 107.

πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον, ἐκ' δὲ μετώπω
ἱδρώς μευ κοχύθεσκεν ἶσον νοτίαισιν ἐέρσαις,

Codicibus k. p. fretus in novissima editione Fritzschius lectionem *ἐν δὲ μετώπῳ* recepit in textum; in omnibus reliquis libris et editionibus est *ἐκ δὲ μετώπω*, quae scriptura sententiae prorsus convenit; cur praestet *ἐν δὲ μετώπῳ*, nullam video caussam; *sudor enim non tam insidet in fronte, quam defluit a capite et fronte* (sudor a capite et a fronte defluens, Cic.). Affert quidem vir ingeniosus locum illum Vergilianum Aen. IX, 812 „tum toto in corpore sudor liquitur et piceum (nec respirare potestas) flumen agit", sed male cessit ei hujus exempli inventio, quippe quum hoc loco non solum de una aliqua corporis parte, verum de toto corpore, in quo insidet sudoris liquor, poëta Romanus loquatur, ut taceam, lectionem „*in* corpore liquitur" ambiguam esse et procusa praepositione casum ablativum ut alibi sic hic quoque ad notionem loci, unde aliquid oritur vel amovetur, adhiberi.

Id. II, 118 — 128.

„ἦνθον γάρ κἠγών, ναὶ τὸν γλυκὺν ἦνθον Ἔρωτα,
ἢ τρίτος ἠὲ τέταρτος ἐὼν φίλος αὐτίκα νυκτός,
μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διωνύσοιο φυλάσσων,
κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν, Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος,
πάντοθε πορφυρέαισι περὶ ζώστραισιν ἑλικτάν."
φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα.
„καὶ μ' εἰ μέν κ' ἐδέχεσθε, τὰ δ' ἧς φίλα· καὶ γὰρ ἐλαφρὸς
καὶ καλὸς πάντεσσι μετ' ἠιθέοισι καλεῦμαι·
εὗδόν τ', εἴ κε μόνον τὸ καλὸν στόμα τεῦς ἐφίλασα·
εἰ δ' ἄλλᾳ μ' ὠθεῖτε καὶ ἁ θύρα εἴχετο μοχλῷ,
πάντως καὶ πελέκεις καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας."

Versus varie multumque vexati.

Connexus sententiarum hic esse mihi videtur: *Ego quoque* (mea sponte etiamsi non invitatus abste) *venissem cum duobus tribusve sodalibus ferens dona dulcissima; et si me excepissetis, gaudia Veneris fuissent pergrata; nam ego agilis vocor inter omnes atque formosus; obdormivissem vero* (neque plura petivissem) *si tantum ori tuo osculum impressissem; sin vero alio me expulissetis et fores fuissent occlusae, secures et faces ad vos adiissent.* Jam omnia quadrant. Inepte scholiasta verba *ἢ τρίτος ἠὲ τέταρτος* explicat: *ἢ μετὰ δύο ἄλλους ἢ μετὰ τρεῖς ἑταίρους.* Namque si meretrix fuisset puella, neque adolescens tam fervido amoris aestu incensus esset, et illa ante hunc amorem jam orba fuisset virginitate, id quod respuit versus 41, quo magno cum luctu deplorat florem amissum. Fritzschius nimis exquisite et arcessite intelligit verba *τὰ δ' ἧς φίλα* amicos; *(cohors fuisset amica nec quidquam te offendisset).* Minus enim apte editor novissimus comparat Aesch. Pers I. *τάδε μὲν Περσῶν πιστὰ καλεῖται* et Theocr. XX, 31 *τὰ δ' ἀστικά μ' οὐκ ἐφίλασεν.* De excubiis, quas familiares agunt amatori vid. Id. VII, 122.

Id. IV, 11.

Recentiorum interpretum nullus fere est, quin hunc versum diligentius consideraverit; multi vero ingeniosius quam verius disputarunt de sententia. Verba *πείσαι κε Μίλων καὶ τὼς λύκως αὐτίκα λυσσῆν*, qualem exhibent libri scripturam (nam lectionum discrepantia, quae inest in *πείσει τι*, *πεῖσαί τοι*, *πείσαι τοι*, *πείσαί τοι* et *λύκος*, nihil habet momenti) sane primo adspectu minus dilucida apparent, quam quae offendere non possint. Fritzschius quoque in novissima carminum Theocriteorum editione priscam Aurati, Scaligeri et Eichstadtii conjecturam recepit, minus recte, si quid video. Namque haec medela nimis

violenta est; non paullum enim dissentit a codicibus plurimis mutatio ista. Ego eo majore fiducia persto in hac reprehensione, quod mihi accuratius perspicienti scripturam libris traditam sensus peraccomodatus efficitur. Corydon, homo lentus, placide haec dicit: *„et abiit hinc ligonem secum ferens ac viginti oves"* (has penoris itinerarii caussa), ad quae Battus, homo dicax ac protervus, acerbe respondit: *„tum Milon* (qui Aegonem abduxit ad Alpheum), *etiam lupis persuaserit, ut protinus inter gregem tanquam derelictum h. e. a pastore vicario male custoditum saeviant."* Omnia vero concinerent, si levi transmutatione versus 10 et 12 conjuncti Corydoni tribuerentur, versus 11 et 13 Batto. Unus enim diceret: *„et discessit rutrum suum ferens et viginti oves; juvencae vero eum hic mugientes desiderant;"* quae verba alter exciperet his salse dictis: *„Persuaserit, credo, Milon lupis, ut confestim irrumpant; (nam) hae quidem miserae sunt (hoc tempore); quam malum nactae sunt (hunc) pastorem."* Tum Corydon minime lacessitus pergeret: *„sane miserae sunt neque amplius pasci volunt."* Adde quod partium singularum proportiones in hoc idyllio accuratissimae non sunt requirendae; qua de caussa duo versus unum insequentes neminem offendere debent. Si ipse a vero aberraverim, veniam me impetraturum esse spero.

Id. IV, 62 — 63.

εὖ γ' ὤνθρωπε φιλοῖφα. τύ τοι γένος ἢ Σατυρίσκοις
ἐγγύθεν ἢ Πάνεσσι κακοκνάμοισιν ἐρίσδεις.

Utrum haec malitiosa dicteria ad mercenarium greges Aegonis pascentem an canum illum culicem, patrem Aegonis, referenda sunt? Plerique interpretum opinari videntur, prorsus alienum esse a mente Batti hoc quidem loco, secundum versus: *ἀκμάν γ' ὦ δειλαῖε· πρόαν γε μὲν αὐτὸς ἐπενθὼν καὶ ποτὶ τᾷ μάκτρᾳ κατελάμβανον ἆμος ἐνήργει* alterum pastorem tam procaciter pungere et lacessere, convenire vero caprarii naturae, quum de Aegonis patre interroget, audito ejus amore, senecionem lascivum non Corydonem comparare cum Panibus et Satyris petulantibus. Quamquam libenter concedimus, hanc explicationem speciem quandam veritatis habere, tamen, quid nos sentiamus, proferre audebimus. Battus est caprarius; quare invidet Corydoni, qui, dum Aegon abest, boves illius pascere jussus est; qua invidia ductus per totum carmen, quoquo modo potest, acerbis facetiis bubulcum irridet atque cavillatur. Quidni in fine confabulandi acidissima et asperrima in eum congerat, praesertim quum obscoenis versibus 60 — 61 ansam praebeat reprehensionis? Jam senties, nostram opinionem hujus idylii argumento non esse absonam.

Id. V.

Nisi me fallit memoria, nemo adhuc cogitavit de comparanda simillima conviciorum invicem regerendorum ratione, qua homines agrestes in montibus Alpium Bavaricorum habitantes utuntur; ex tempore enim versus incultos fundentes per totas horas inter se gravissime lacessunt. Vocantur haec proterva certamina vernaculo sermone „Trutzliedel". Non absurde F. Jacobsius, quamquam hujus, quem modo tetigi, usus inscius: „Solet hoc genus hominum, imprimis ii, qui se ingeniosos existimant, alios dicteriis lacessere vernilibus sine malo animo, temporis fallendi ingeniique exercendi caussa".

Id. VI, 22.

χοὔ μ' ἔλαθ', οὐ τὸν ἐμὸν τὸν ἕνα γλυκύν, ᾧ ποθόρημι
ἐς τέλος.

Scripsit e conjectura editor novissimus *ᾧπερ ὅρημι* sic explicans locum: *„nec me latuit, non latuit hunc meum unicum dulcem oculum, quo cerno ad finem usque vitae."* Sed praeterquam quod haec scriptura nimis audax abhorret ab auctoritate librorum, quorum alii exhibent *ᾧ ποθόρημι*, alii *ᾧ πόθ' ὅρημαι* (*ποθορῷμι* Heinsius conjecit), ego, qua necessitate omnino urgeamur ad mutandum, minime perspicio. Sensus hic est: *nec me latuit, non hunc meum unum dulcem (oculum), quo (illam) adspicio usque ad vitam extremam.* Qui vero versum 25 *ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐγὼ κνίζων πάλιν οὐ ποθόρημι* Fritzschii interpretationi favere opinantur, in errore esse mihi videntur. Pastor enim, qui Polyphemi partes agit, usque ad mortem se intuiturum esse confidit in illam famosam Nympham, sed ut irritando saevam molliat et nimis duram sibi conciliet, praesens in tempus adspicere eam non vult. (Germani dicunt „kirre machen.")

Id. VIII, 18 — 25.

M. σύριγγ', ἂν ἐποίησα, καλὰν ἔχω ἐννεάφωνον,
λευκὸν καρὸν ἔχοισαν, ἶσον κάτω, ἶσον ἄνωθεν·
ταύταν κατθείην, τὰ δὲ τῶ πατρὸς οὐ καταθησῶ.
Δ. ἦ μάν τοι κἠγὼ σύριγγ' ἔχω ἐννεάφωνον,
λευκὸν καρὸν ἔχοισαν, ἶσον κάτω, ἶσον ἄνωθεν.
πρώαν νιν συνέπαξ'· ἔτι καὶ τὸν δάκτυλον ἀλγέω
τοῦτον, ἐπεὶ κάλαμός με διασχισθεὶς διέτμαξεν.
ἀλλὰ τίς ἄμμε κρινεῖ; τίς ἐπάκοος ἔσσεται ἁμέων;

Vix satis commode explicaveris hos versus. In quo cur hominibus eruditis non assentiar, modeste, ut par est, jam proferam. Daphnidi in animo est, recusare fistulam pulcram, novem vocibus instructam, alba cera compactam, *quippe quum et ipse ejusdem formae fistulam domi habeat.* Ut autem nunc verba exstant, bubulcus etsi paullisper indignabundus, tamen rem non ultra persequitur, quod mea quidem opinione ferri nequit. Ego lacunam suspicor ante versum 25; poëta enim hoc premere debuit, *aliud a Menalca praemium fuisse reponendum.* Quid vero sit inserendum, satis lubricum est.

Versum 83 λάσδεο τὰς σύριγγας ἐνίκησας γὰρ ἀείδων reputanti probabile videbitur, alterum pastorem *duas* vel *plures* fistulas *vario modo formatas* victoriae praemium deposuisse. Haud quidem ignoro, ad unum omnibus interpretibus hanc, quae sequitur, explicationem probari: *contendunt inter se Monalcas et Daphnis judice delecto caprario; praemium autem victoriae deponunt suas fistulas;* sed quomodo evincere poteris, poëtam Siculum pastores res pari sive eodem modo formatas certaminis praemia deponentes facere? Huc accedit, quod Daphnis supra, *vitulo* deposito *agnum matri aequalem* postulat a Menalca, unde liquet, si non *vitulum* at certe *aliud aliquid, quod discrepet a fistula* bubulci, deponendum fuisse.

Id. XI, 58 — 59.

ἀλλὰ τὰ μὲν θέρεος, τὰ δὲ γίνεται ἐν χειμῶνι,
ὥστ' οὐκ ἄν τοι ταῦτα φέρειν ἅμα πάντ' ἐδυνάθην.

Versum 59 cum Ahrensio Peiperus tanquam otiosissimum (vid. Jahnii annal. 1865 XCI et XCII p. 334) ejicere vult. Explodenda erit haec vana opinio. Etenim si, quidquid versuum ab accuratissimo responsionis ordine recedit, offenderit, permulta erunt extrudenda in nostris carminibus, neque consentaneum est, omnem, quae arridet nobis, transmutationem verborum aut exturbationem amplecti, praesertim quum sententia salva sit. Dicit enim poëta: *atqui haec quidem aestate, alia vero hieme gignuntur, ut omnia simul tibi non possim afferre (id quod mihi pergratum sit, quippe hoc ipso pacto totum per annum liceat mihi te visere).*

Id. XV, 15 — 18.

ἀπφὺς μὰν τῆνος πρώαν (λέγομες τὰ πρώαν θην
πάντα) νίτρον καὶ φῦκος ἀπὸ σκανᾶς ἀγοράσδων
κῆνθε φέρων ἅλας ἄμμιν, ἀνὴρ τρισκαιδεκάπαχυς.

Editores, scholiastis ducibus, infelici tanquam verborum cavillatione evolverunt sensum, qui et torti quid habet neque librorum scriptura confirmari potest. Sic e. g. alii opinantur, *Praxinoam cum Gorgone amica communicare, quam nummorum tenax et sordidus sit suus maritus; huic rei esse argumento, quod ille natrum et fucum ex taberna emere jussus redierit salem ferens, h. e. remedia quidem ad ornatum muliebrem pertinentia, sed vilia tamen et abjecta ut salem; ejusmodi enim mercem nimirum non magno constitisse.*

Sed, ut reliqua taceam, primum verba κῆνθε φέρων ἅλας ἄμμιν nihil nisi *„salem afferens nobis rediit“* significare possunt, minime vero *„afferens tale quid, quod sali est simile, vel salis instar aestimatur“*, quae ratio recederet ab usu sermonis Graeci; namque id si poëta voluisset dicere, particula aliqua comparativa non erat negligenda. Deinde opinioni, Dinonem in sorde atque avaritia reprehendi ab uxore,

adversatur, quod Gorgo amicam indignatam admonet de Zopyrione filiolo, quem de *laevitate* patris edoceri non conveniat; de *sordido ejus animo* si percipiat auribus aliquid puerulus, non magni esse momenti; id Gorgo subaudire mihi videtur. Itaque Gorgonis anxietas nihil haberet caussae. Tum Praxinoae maritus ab uxore ipsa neglectis ambagibus *πάραρος* h. e. *delirus* et *τρισκαιδεκάπαχυς, homo tredecim cubitorum*, vocatur sive homo celsissima quidem statura, sed laevi et inepti ingenii. Huc accedit, quod versus insequentes

„χὠμὸς ταυτᾷ ἔχει, φθόρος ἀργυρίω, Διοκλείδας·
ἑπταδράχμως κυνάδας, γραιᾶν ἀποτίλματα πηρᾶν,
πέντε πόκως ἔλαβ' ἐχθές, ἅπαν ῥύπον, ἔργον ἐπ' ἔργῳ"

satis dilucide demonstrant, de stupore utriusque viri sermonem esse. Gorgo enim maritum suum simili modo perstringit loquens: *eodem modo meus agit, Dioclides, vorago pecuniae, qui omnia negotia male gerens opes diffundit.* Si quis objiciat, ex versibus

ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος ἐπ' ἔσχατα γᾶς ἔλαβ' ἐνθὼν
ἰλεόν, οὐκ οἴκησιν, ὅπως μὴ γείτονες ὦμες
ἀλλάλαις, ποτ' ἔριν, φθονερὸν κακόν, αἰὲν ὁμοῖος etc. etc.

hunc sensum elici posse: *Dinon conducta aede longe ab urbe sita non tanti habitat, quanti intra urbis moenia,* annuere velim, sed nihilo secius in sententia mea persto, malevolum a poëta animum illius hominis describi, qui omnem amicitiarum nexum ab uxore sua exoptatum remoto aedificio impedire in animo habeat vel saltem circumcidere; atqui non raro animi stupiditas cum malevolentia conjungitur. Sunt denique, qui multo longius procedant sic verba explicantes: *et rediit, salem mihi afferens, quasi ut me doceret, salem magis necessarium esse ad res domesticas quam fucos et pigmenta.* Verum tam aculeate neque loqui neque agere potest *τρισκαιδεκάπαχυς* iste. Quare sententiam loci hanc esse existimo: *pater quidem ille nuper nitrum et fucum cum ex taberna emere jussus esset, rediit salem* (quippe oblitus erat, *quid* lenociniorum empturus esset) *nobis afferens.*

Id. XIX.

Hoc idyllium, quod, nescio qua gravi caussa permoti, Bioni vel alii sollerti carminum Theocriteorum imitatori permulti tribuerunt, lepidissime est compositum et, quamquam a nostri poëtae ratione et animo in aliquam partem alienum videtur, tamen, nisi graviora argumenta afferantur, Theocriti esse judicandum erit. Quod scholiis non illustratur dulcissima haec cantiuncula, aliquo ut in aliis sic in hoc carmine casu iniquo acciderit. Haec hactenus de idyllio in universum. Pergo ad singulas res. In verbis *ἄκρα δὲ χειρῶν δάκτυλα πάνθ' ὑπένυξεν „extremos vero manuum digitos omnes confixit"* inest, quod offendat aliquem. Constat enim, apes aculeo semel inhibito derelinquere telum et postea perire. Quomodo igitur omnes digiti pungi possint, non video. Quod sentiens vertit Notterus: „Die Spitzen der sämmtlichen Finger setzte der Stachel in Glut;" sed verbum *ὑπονύσσειν* habet notionem „pungendi, feriendi". Quamobrem poëta negligentiae et incuriae quantulaecunque erit arguendus, quae sane dulcedini carminis nullum affert detrimentum. Ceterum haud scio, an quispiam dudum ad hoc attenderit animum. Conferas denique ex aliqua parte carmen Lessingii nostri, quod inscribitur „Die Biene."

Id. XX, 21 — 23.

καὶ γάρ ἐμοὶ τὸ πάροιθεν ἐπάνθεεν ἁδύ τι κάλλος
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, ἐμὰν δ' ἐπύκαζεν ὑπήναν,
χαῖται δ' οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυντο, etc. etc.

Ego vulgarem interpunctionem vitiosam esse puto, quum sensui adversetur. Displicet enim mihi haec interpretatio: *„etenim me antea adornabat dulcis quidam decor sicut hedera stipitem amplexa, meamque vestiebat genam; capilli autem velut apium circa tempora erant fusi."* Quanto concinnius dicitur: *„etenim me antea adornabat dulcis quaedam venustas; (haec) vero, ut hedera stipitem amplexa, sic meam vestiebat genam (barba); capilli autem velut apium circa tempora fusi erant".* Namque aperte hedera op-

ponitur barbae, genae stipes. Quare sine ulla dubitatione omiserim distinctionis signum post vocem *ποίμνον,* infixerim post *κάλλος,* ita ut *ἁδύ τι κάλλος* tanquam generalem efficiat sententiam, barba autem et capilli partes decoris exhibeantur. *Decor meam genam barba vestiebat, ut vestit hedera stipitem.* Conjunctionem vero copulativam *δὲ* nonnunquam longius abesse ab initio sententiae, quis ignorat?

Id. XX, 33.

χὠ καλὸς Διόνυσος ἐν ἄγκεσι πόρτιν ἐλαύνει.

Zieglerus Meinekium laudans ab aliena manu versum illatum esse putat. Notterus quoque monuit, versum spurium cancellis includendum esse; primum enim nullibi inveniri in historia fabulari Dionysium greges pascentem, deinde initium sequentis versus docere, illinc demum ordinem exemplorum incipi, quae pastor a puella urbana contemptus in honorem bubulcorum proferre studeat. Equidem haud negaverim, locum satis magnas habere difficultates: ex quibus qui se extricare volet, ordinem versuum ita transmutabit, *ut v. 33 ante v. 37 ponatur;* jam commode omnia habebit. Non repugnarem ejicientibus integram sententiam, si gravem afferrent caussam, qua permotus glossator aliquis insuere voluisset illud exemplum. De mytho ipso obscuro alii aliter senserunt. Ego, quod ille non invenitur in aliis literarum graecarum monumentis, hoc negandi potestatem dare non censeo.

Id. XX, 44 — 45.

μηκέτι μηδὲ τύ, Κύπρι, τὸν Ἄρεα μήτε κατ' ἄστυ
μήτ' ἐν ὄρει φιλέοις, μούνη δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδοις.

Venerem hic intelligi Eunicam ipsam, omnibus interpretibus probatur; neque mirum hoc est, quum sensus aptissimus effici videatur. Verumtamen id dubitare licet. In idyllio de *urbanis* tantummodo amasiis agitur sive de amoribus, quibus Eunica viros in *urbe* habitantes prosequitur, quare, si interpretum esset opinio vera, nihil loci esset verbis *μήτ' ἐν ὄρει.* Quod si statueris, haud inanem judicabis meam suspicionem, Theocritum haec dicere voluisse: *ne amplius tu quoque, Venus, Martem neque in montibus, neque in urbibus ames (quum ista aemula omnes dulces pupulos, deos ac mortales, blando amore devincat.* Quibus expensis haud scio an idem requiras.

Id. XXI, 48 — 51.

τῷ χέρε τεινόμενος περικλώμενος εὗρον ἀγῶνα·
πῶς μὲν ἕλω μέγαν ἰχθὺν ἀφαυροτέροισι σιδάροις;
εἶθ' ὑπομιμνάσκων τῶ τρώματος ἠρέμ' ἔνυξα,
καὶ νύξας ἐχάλαξα, καὶ οὐ φεύγοντος ἔτεινα.

Huic vexatissimo loco ut genuina forma restituatur, primum nihil afferentem praejudicati simplicissima ad intelligendum auxilia a re piscatoria ipsa te petere oportebit; deinde, quoad corruptelae scripturae ferri nequeunt, emendandae neque tamen idcirco cacumina radicum loco ponenda esse mihi videntur. Ego versuum, qui supra exstant, hunc esse sensum mihi persuadeo: *quare ambas manus extendens incurvatus* (sc. *tergo incurvato) inveni certamen, quomodo eum piscem extrahere possem ferro tenuiore. Tum admonens (piscem) de vulnere leniter pupugi, et quum pupugissem, remisi, quumque erumpere vellet, intendi.* Quicunque enim hominem piscantem viderit, eum non fallet, illum, ubi praedam pinnigeram hamo palpitantem senserit, primo relaxare arundinem, tum piscem leniter adducere et proruptùram demum belluam vehementius sursum ad se attrahere. Quare non solum cum aliis scripserim versum 48 *τῷ χέρε τεινόμενος περικλώμενος εὗρον ἀγῶνα* (selbst als ich mich vorwärts bog und also nachgab, hatte ich noch genug zu schaffen), versus autem 50 — 51 *εἶθ' ὑπομιμνάσκων τῶ τρώματος ἠρέμ' ἔνυξα, καὶ νύξας ἐχάλαξα,* sed etiam de meo conjecerim *καὶ ἐκφεύγοντος* pro *οὐ φεύγοντος.* Haud enim apte Notterus: „D'rum, ausstreckend die Händ', vorbeugt' ich und hatt' nun zu kämpfen, wie das gewaltige Thier ich bekäm' an dem winzigen Eisen; da fiel ein mir die Wunde, und sanft erst bohrt' ich (sic) sie tiefer" ꝛc. ꝛc., quam versionem hac annotatione illustravit: „das Rohr krümmte sich mir unter der Last des zappelnden Fisches, ich mußte ihn also mit den Händen zu fassen suchen, daher ich diese mit vorge-

beugtem Leib' nach ihm ausstreckte ꝛc. ꝛc." At vero hanc interpretationem esse perversam et a ratione piscatoria prorsus alienam, quis non intellexerit? Ceterum locum nostrum comparare liceat cum Oppian. *ΑΛΙΕΥΤ. Ε* 144 — 146

— — *μηδ' ἰθὺς ἀποῤῥήξειε σίδηρον*
αἱμάσσων, ὀλοῇσι περισπερχὴς ὀδύνῃσιν,
ἀλλὰ περιστροφάδην πλαγκτὸν δρόμον εἱλίσσοιτο etc. etc.

Id. XXIII, 46 — 48.

Hoc carmen exhibet versus:

γράψον καὶ τόδε γράμμα, τὸ σοῖς τοίχοισι χαράξω·
„ΤΟΥΤΟΝ ΕΡΩΣ ΕΚΤΕΙΝΕΝ, ΟΔΟΙΠΟΡΕ· ΜΗ ΠΑΡΟΔΕΥΣΗΣ
ΑΛΛΑ ΣΤΑΣ ΤΟΔΕ ΛΕΞΟΝ· ΑΠΗΝΕΑ ΕΙΧΕΝ ΕΤΑΙΡΟΝ.

Notterus et alii locum vertunt hunc in modum:

Schreib' mir den Spruch dann auf's Grab, ich schreib' ihn dir auf die Wände:
„„Dem ward Liebe zum Tod'! geh', Wanderer, nicht ihm vorüber,
„„Sondern verweil' und sage: ein Grausamer war der Geliebte.""

Explicantur enim verba *τὸ σοῖς τοίχοισι χαράξω* *sententiam hanc tam penitus animo tuo mando, ut semper eam in parietibus tuis legere tibi videaris*; quae explicandi ratio me offendit. Ego, si quidem conjecturae *τὸ σοῖς τοίχοισι χαράξω*, quae, quod sciam, omnibus fere recentioris aetatis editionibus Theocriteis recepta est, tenaces esse volumus, ac non potius scriptura Reiskii assumenda erit *τό σοι στίχοισι χαράξω*, hunc esse sensum existimo: *„dedica etiam hanc inscriptionem mihi,* quam nunc *tuis parietibus* (*in quibus nunc me suspensurus sum,* vide versus 49—50 *ὧδ' εἰπών, λίθον εἷλεν ἐρεισάμενος δ' ἐπὶ τοίχῳ ἄχρι μέσων οὐδῶν φοβερὸν λίθον* etc. etc.) *inscribam."* Poëta enim virum amore infelici afflictum depingere vult, qui finitis querelis caelum sive stilum sumturus et, quos versus epitaphii futuri lente eloquitur, eosdem muro insculpturus est.

Id. XXV, 96 — 99.

πᾶν δ' ἄρ' ἐνεπλήσθη πεδίον, πᾶσαι δὲ κέλευθοι,
ληίδος ἐρχομένης, στείνοντο δὲ πίονες ἀγροὶ
μυκηθμῷ· σηκοὶ δὲ βοῶν ῥεῖα πλήσθησαν
εἰλιπόδων, ὄϊες δὲ κατ' αὐλὰς ηὐλίζοντο.

Hartungius in Jahnii ann. 1866 XCIII — XCIV. 8. sine ulla dubitatione *στείνοντο* in *σείοντο* mutandum esse sibi persuasit. Nam contra Ameisii explicationem *referti erant pingues agri mugitu i. e. mugientibus* repugnare notionem substantivi *μυκηθμός*, quod nihil aliud significare possit nisi „mugitus". Participium vero *ἐρχομένης* arcte conjungere cum *μυκηθμῷ* et, quae intersint verba *στείνοντο δὲ πίονες ἀγροί*, interposita intelligere, distractionem esse et intercisionem rationi poëticae minime convenientem. Sensum requirere „die Fluren erdröhnten von Gebrüll;" esse igitur *σείοντο* scribendum, „sie wurden vom Brüllen der unermeßlichen Heerden erschüttert, hallten davon wieder". Sic Hartungius. Ego haud improbo viri doctissimi sagacitatem; nam quod omnes fere interpretes scholia, quae reddunt verba *ληίδος* = *τῆς λείας; στείνοντο* = *ἐστέναζον, ἤχουν; μυκηθμῷ* = *τῇ τῶν βοῶν βοῇ*, summa socordia ac temeritate recinunt, hoc nos, ut idem repetamus, adducere non debet. Certe voci *στείνομαι* non subjici potest sententia *resonandi.* Jam vero quid nobis medelae erit? Conjectura Hartungii *σείοντο δὲ πίονες ἀγροί* quamvis peracuta nec non exemplo suffulta (affert enim Apollon. Rhod. III 863 *μυκηθμῷ δ' ὑπένερθεν ἐρεμνὴ σείετο γαῖα*) tamen cautissime recipienda mihi videtur. Redolet enim mihi integer versus 97 *glossatoris alicujus adnotationem,* quam postea alius quispiam inter v. 95 et 96 inseruit. Genetivus enim absolutus *ληίδος ἐρχόμενης* maxime superfluus apparet et, quae sequuntur verba *στείνοντο δὲ πίονες ἀγροί*, nihil aliud continent nisi paraphrasim antecedentis versus. Quare hoc versu ejecto con-

jungere velim *πᾶν δ' ἄρ' ἐνεπλήσθη πεδίον, πᾶσαι δὲ κέλευθοι μυκηθμῷ* etc. etc. *omnis utique campus implebatur, omnesque viae mugitu.*

Id. XXV, 262.

τὸν μὲν ἐγὼν ὀδύνῃσι παραφρονέοντα βαρείαις
νωσάμενος, πρὶν γ' αὖτις ὑπότροπον ἀμπνυνθῆναι,
αὐχένος ἀῤῥήκτοιο παρ' ἰνίον ἔφλασα προφθάς,
ῥίψας τόξον ἔραζε πολύῤῥαπτόν τε φαρέτρην·
ἦγχον δ' ἐγκρατέως, στιβαρὰς σὺν χεῖρας ἐρείσας,
ἐξόπιθεν, μὴ σάρκας ἀποδρύψει' ὀνύχεσσιν,
πρὸς δ' οὖδας πτέρνῃσι πόδας στερεῶς ἐπίεζον
οὐραίους ἐπιβάς, πλευροῖσι τε μῆρ' ἐφύλασσον,
μέχρι οἱ ἐξετάνυσσα βραχίονας, ὀρθὸν ἀείρας
ἄπνευστον· ψυχὴν δὲ πελώριον ἔλλαχεν ᾅδης.

Ego verto: *Hunc igitur ego doloribus attonitum gravibus intuitus, priusquam iterum ad se rediens respirasset, ad cervicis invictae tendinem contudi praevertens, abjecto humi arcu et sutili pharetra; stringebam autem firmiter manibus robustis comprimens, a tergo, ne carnem (mihi) laniaret unguibus et in terram calcibus pedes fortiter premebam posteriores, inscendens et (illius) lateribus femora (mea) muniebam, donec ei extendi armos, erectum elevans spiritus impotem; animam vero ingentem excepit Hades.*

Hartungius, quem *ἔφλασα* = *contudi* offendit, scribendum putat *ἔσπασα*, sic intelligens „als ich ihn so ohnmächtig daliegen sah, zerrte ich ihn, bevor er sich wieder erholte, rasch am Genick des unverwundbaren Halses ... und würgte ihn kräftig." Sed praeter nimiam conjecturae violentiam sensus flagitat verbum *φλάω premo, comprimo, contundo,* drücke, zerquetsche.

Hercules enim, belluam conspicatus semianimem, priusquam haec se recolligat, collum tanquam sedem spiritus, comprimit; tum demum manibus robustis leonem angit. Sententia vero, quae incipit a verbo *ἦγχον*, amplificat tantummodo versum 264. Alii conjecerunt *ἤλασα*, sed hic omni mutatione supersedere possumus. Ceterum *πελώριον*, quod jam in editione Reiskii exstat, et nescio, qua de caussa, recentiori aetate lectioni *πελώριος* cedebat, hoc loco tantum abest, ut quidquam habeat offensionis, ut potius egregie conveniat. Leonem ingentem habuisse animam poëta dicit et ob id ipsum robur et vires Herculis etiam laudabiliores apparent. Qui vero contendunt, hoc loco *πελώριος* aptum esse epitheton voci *ᾅδης*, eos nihil moramur.

Id. XXVIII.

Hoc dulce idyllium, quod ab omnibus carminum Theocriteorum generibus discrepat, prope accedit ad dialectum Aeolicum; metrum quoque versuumque lex et modificatio longe discedit a vulgari ratione. Nihilominus tamen nostro poëtae vindicandum esse existimo. Praestantia enim quanta sit hujus carminis, neminem fugiet; imprimis nativa quaedam suavitas inest, quae ex comparatione demum id. XXVI et XXVII (haec duo carmina sine dubio alium aliquem poëtam habent auctorem) plane intelligi potest. Nihil enim simplicius hoc idyllio, nihil magis perspicuum ac dilucidum cogitaverit aliquis, nec eget argumentum ejus ad explicandum subsidiis operose extrinsecus alicunde arcessendis.

Id. XXIX.

Qui hoc carmen Theocriti esse negant, caussam afferunt, quod in libris aliquot manu scriptis non reperiatur. Etsi concedimus, id non esse nullius momenti, tamen perpauca insunt, quae ab ingenio et ratione poëtae nostri abhorrent. Unus tamen versus 34 *ἀλλάλοισι πελώμεθ' Ἀχιλλέιοι φίλοι* habet quod offendat. Quid enim sibi velit vox *Ἀχιλλέιοι*, haud expediveris nisi cum Nottero aliisque intelliges Achillem et Patroclum h. e. amicitiam, quae inter eos erat. At vero quis Achillem ipsum dixerit *φίλον Ἀχιλλέιον?* Corruptio, ne longius abeam, in illo nomine adjectivo latebit. Monuisse autem sufficiet. —

Haec sunt, quae literis mandare institui.
Multae aliae in poëtas bucolicos observationes alteri opusculo reservatae sunto.